



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

10. Vtrùm Christus satisfecerit pro peccatis ex rigore iustitiæ vindicatiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

pro se ipso satisfacere de condigno pro peccato, nec extinguere, aut delere reatum culpæ; posset tamen satisfacere huic debito iustitiæ; nec ad hoc indigeret Christi satisfactio-
ne, quia si homo ex iustitia debebat aliquid Deo reddere pro honore ablato, vel pro opere præcepto non exhibito; ergo homo poterat illud reddere; alioquin si non poterat, non tenebatur ex iustitia. Iustitia enim non obligat ad impossibile; ergo quantumcunque esset illud hominis debitum, non excederet hominis possibilitatem, solumque teneretur homo ex iustitia reddere Deo quantum posset; ergo posset homo reddere totum quod debebat, quia solum debebat dare quantum posset ergo repugnat dicere hominem ex peccato contrahere aliquod debitum iustitiæ, pro quo ipsemet homo non posset ex iustitiæ rigore satisfacere: sicut si diceret, hominem ex voto, vel præcepto contrahere aliquod debitum, cui non posset homo adæquare satisfacere; repugnat enim esse debitum, & non posse impleri.

133
Eiusque.

Dices, qui abstulit centum, & non potest reddere, nisi viginti, adhuc non satisfacit, nec solvit totum, quod debet; ergo licet peccator redderet quantum posset, non ideo solveret quantum debet.

Ocluditur.

Respondeo, illum solvere quantum debet proxime, quia hic & nunc non tenetur, nisi ad soluenda viginti, quæ solum habet, non tamen solvere quantum debet remote, quia licet nunc non habeat centum, potest tamen illa postea habere, & per consequens potest, & debet ea integre solvere. Ceterum si nunquam posset illa habere, certissimum est non debere, quæ nunquam solvere potest.

Alia eiusque.

Dices iterum, iustitia respicit æqualitatem dati, & accepti; sed inter centum ablata, & viginti, quæ restituuntur, non est æqualitas; ergo per illa viginti non satisfit debito iustitiæ.

Præcluditur.

Respondeo, iustitiam respicere æqualitatem dati & accepti, supponendo potentiam ponendi æqualitatem: si autem sit impossibilis, non potest iustitia ad eam obligare; & ne sit questio de vocibus, fatemur, in eo casu non reddi tantum, quantum ablatum est; reddi tamen tantum, quantum debetur ob impotentiam soluendi; ex quo fit, quantumcunque iniuria hominis in Deum cresceret ob infinitatem personæ offensæ: & licet homo prius nunquam posset Deo reddere, quantum ei abstulit; posset tamen satisfacere debito, quod haberet ex iustitia, quia ipsa impossibilitas reddendi æquale, deobligaret eum ab alio debito, & solum ex iustitia deberet reddere quantum posset. Non ergo fuit necessaria Incarnatio, ut Christus satisfaceret ex iustitia, id est, pro debito aliquo iustitiæ, quod homines ex peccato contraxerint.

134

Denique licet homines ex peccato contraherent debitum ex iustitia satisfaciendi; non ideo Christus satisfaceret pro nobis ex iustitia, neque ille actus, quo Christus vellet pro nobis satisfacere, esset actus iustitiæ, sed potius misericordiae, vel alterius virtutis, nam iustitia non mouet me ad soluendum debitum alie-

num, sed proprium; sicut nec temperantia mouet me ad cohibendum imperum carnis alienæ, sed propriæ; alioquin Deus esset temperans, & humilis, & abstinens, quia vult in nobis frænare luxuriam, superbiam, gulam. Sic etiam qui vult alium restituere, non est iustus, sed amicus iustitiæ alienæ; & qui vult solvere pro debitore incarcerato, magis est misericors, quam iustus. ergo licet homo esset debitor ex iustitia propter peccatum, Christus tamen solvens pro eo, quod ipse non debebat, non operaretur ex iustitia, sed ex misericordia erga debitorem impotentem solvere.

Obiicies primò, quia ex peccato ortum erat Deo ius aduersus hominem ad exigenda eius opera nouo titulo: huic autem debito Christus satisfecit; ergo satisfacit alicui debito iustitiæ.

135
Obiectio prima.

Respondeo, hominem ex peccato manere reum, quem possit Deus iuste per sententiam obligare ad exhibenda opera per modum multæ pœnalis, ut dixi *sectione præcedenti*, hoc tamen non est manere hominem ex peccato immediate cum aliquo debito ex iustitia, sed manere dignum, cui imponatur nouum debitum iustitiæ per modum pœnæ; quare Christus extinguens in Deo ius illud ortum ex peccato, non satisfecit pro debito iustitiæ, quod homo haberet, sed extinxit ius Dei ad obligandum hominem per modum iudicij ad nouum debitum iustitiæ.

Obiicies secundò, homo verè erat debitor pœnæ iuste imponendæ pro peccato, sed post Christi opera applicata iam non est debitor pœnæ; ergo Christus verè satisfecit pro debito iustitiæ, quod homo habebat.

136
Obiectio secunda.

Respondeo, satisfecisse pro debito iustitiæ punitiue, quod homo habebat; non tamen pro debito iustitiæ commutatiue, quod obligaret ipsum hominem actiue, ut ita dicam; debitum enim iustitiæ punitiue, non est debitum actiuum, sed passiuum quod homo non debet explere, sed iudex potius potest illam pœnam sumere; ad cuius susceptionem non ponitur in homine virtus iustitiæ, sed patientiæ; in Deo verò ponitur virtus iustitiæ vindicatiue, de qua dicemus *sectione sequenti*.

Diluitur.

SECTIO X.

Utrum Christus satisfecerit pro peccatis ex rigore iustitiæ vindicatiue?

Vidimus nec Deum per Christi opera obligari ex iustitia, nec hominem habuisse aliquod debitum iustitiæ commutatiue, pro quo necesse esset Christum satisfacere: restat tertius sensus questionis, an Christi satisfactio fuerit rigorosa, attendendo ad id, quod exigebant leges iustitiæ vindicatiue, ita ut nulla gratia interueniente ex parte Dei, eo ipso extinctum fuerit ius ex peccato ortum contra hominem ad puniendum ipsum.

137

Suppono autem, iustitiam vindicatiuam esse voluntatem puniendi delicta propter bonum, & honestatem, quæ apparet in ipsa correctione, & punitione peccati, quæ virtus reperitur proprie

Suppositio pro sensu questionis tertie.

pre in Deo, vt ex Scriptura probat latè Suarez
dicto opusc. de iust. sect. 5.

138
Consequenter
de satisfactione
in Deum.

Loquendo ergo de rigore huius iustitiæ vindicatiuæ, adhuc dicendum videtur, satisfactio-
nem Christi, licet fuerit rigorosa, quoad æqua-
litatem, & condignitatem pretij soluti, non ta-
men fuisse rigorosam quo ad modum solutionis,
sed indiguisse aliqua gratia libera Dei.

Propter
comple.

Explicatur, & probatur simul conclusio exem-
plo vulgari hominis debentis librum, pro quo
tamen soluit pecuniam libro æquiualem, pro
quo ægrè fert librum reddere; satisfacit sanè
rigorose si attendas ad valorem rei debitæ,
non tamen si attendas ad modum, quia nisi
creditor graciosè acceptet illum modum solu-
tionis, lex iustitiæ obligat debitorem ad red-
dendum ipsum librum, quem debet. Sic etiam
cum proportionem in materia iustitiæ vindicati-
uæ philosophandum est; si enim aliquis ita
peccauit, vt iuste puniatur exilio vnus mens-
is, & velit redimere pecunia illud exilium, of-
feratque summam æquiualem, imò excede-
ntem; non dubium, quin satisfiat rigori ius-
titiæ vindicatiuæ, si attendas ad mensuram
pœnæ; non tamen satisfiat, si attendas ad mo-
dum, si enim iudex graciosè non admittat il-
lam compensationem, ius habet ex rigore ius-
titiæ punitiuæ ad exigendum exilium, quan-
tumvis alia æqualis, & longè maior pœna of-
feratur.

139
Iuxta
canonem.

Ex hoc etiam rigore iustitiæ vindicatiuæ
prouenit secundo, vt quantumvis alius se pro
delinquente offerat paratus ad subeundam pœ-
nam, non solum æqualem, sed maiorem; non
tamen fiat satis rigori iustitiæ, nisi iudex gra-
tiosè velit illam pœnam alienam acceptare loco
pœnæ personæ delinquentis. Accedente verò
hac iudicis acceptatione iam punitur delictum
de rigore iustitiæ quoad quantitatem pœnæ,
non tamen quoad modum executionis illius.
Quare quod de Zeluco narratur, qui ne vio-
laret legem, viriisque oculi amissionem impo-
nentem adulteris, cum filius suus esset adulter,
voluit filio vnum, sibi quæ ipsi alterum oculum
erui, vt duplici oculo eruto legi satisfaceret;
hoc, inquam, non videtur factum sine aliqua
gratia, & dispensatione saltem quoad modum.
Verè enim lex ius dederat iudici vtrumque ocu-
lum ab ipso filio exigendi: fuit tamen obserua-
tus legis rigor quoad quantitatem pœnæ sine vl-
la dispensatione.

140
Solutio
canon.

Denique ex hoc rigore iustitiæ prouenit, vt
quantumvis, qui peccauit, se propria sponte af-
fligat, & cruciet in pœnam peccati, non tamen
satisfaciat iustitiæ, nisi iudex etiam illam spon-
taneam afflictionem commutet in pœnam, & li-
beraliter acceptet; ceterum acceptante iudice,
illa satisfactio est condigna, si adiunt aliæ condi-
tiones, & poterit esse non solum æqualis, sed ex-
cedens etiam, & superabundans.

Huiusmodi sunt satisfactiones iustorum in
hac vita; quas quidem Deus posset non acce-
ptare in compensationem pœnæ temporalis
debitæ pro peccatis; accedente tamen hac Dei
acceptatione iam nunc iustus per opera pœna-
lia satisfacit condignè, & aliquando superabun-
dantè atque etiam de rigore iustitiæ vindica-
tiuæ, quoad quantitatem pœnæ æquiualem,

quia vnum ieiunium voluntariè sumptum æqui-
ualet multis non voluntariis; non tamen satis-
facit de rigore iustitiæ quoad modum execu-
tionis; posset enim rigor iustitiæ à peccatore
adhuc post illa omnia ieiunia integram pœnam
exigere.

Ex his iam constat sensus, & veritas nostræ
conclusionis, nam Christi satisfactio pro no-
stris peccatis, si quantitatem, & valorem respec-
tans, non solum condignum pretium est, sed
excedens, & superabundans; & ex hoc capite
fuit iuxta, imò & supra rigorem iustitiæ puni-
tiuæ; adhuc tamen quantacumque illa est,
potuit iuxta rigorem iustitiæ non acceptari à
Deo; tum quia non erat à peccatore, à quo
posset iuste pœna sumi; tum, etiam quia pote-
rat Deus supremus iudex nullam satisfactionem
acceptare, sed exequi pœnam à se impositam
pro peccato; quare cum sola Christi opera non
sufficerent sine hac liberali Dei voluntate ad
tollendum debitum nostræ pœnæ; consequens
est Christum non satisfacisse iustitiæ punitiuæ
de toto rigore quoad modum, quem iustitia pos-
set iuste retinere.

141
Conclusio
veritas.

Obiicies, qui dat centum pro equo, soluit
eum de rigore iustitiæ, licet dominus equi ha-
beat ius ad retinendum equum, si velit. ergo
Christus dans pretium æquiuale, & super-
abundans pro nostris maior offensis, soluit pro eis de
toto rigore iustitiæ.

142
Obiicitur.

Respondeo negando consequentiam, quia
iustitia sumitur valde æquiuocè in antecedenti,
& consequenti, arguitque de iustitia commu-
tatiua ad vindicatiuam. Itaque in antecedenti
sermo est de iustitia commutatiua, quæ est in
emptore, & obligat eum ad soluendum pretium
iustum rei emptæ; & sensus est emptorem solu-
entem pretium iustum, soluere totum illud, ad
quod iustitia commutatiua eum obligat. At ve-
rò in consequenti sermo est de iustitia vindica-
tiua, quæ quidem non est in Christi humani-
tate, sed in Deo, dans ei ius ad pœnam impo-
nendam ipsi peccatori, & idèd sensus illius con-
sequenti non est, Christum soluere quantum
obligatur soluere ex iustitiâ; (nam iustitiæ non
obligat eum aliquid agere, vel soluere,) sed sen-
sus est, Christum facere, quantum satis est ad
extinguendum omnino ius, quod Deus habet
aduersus peccatorem ex iustitia vindicatiua, &
hic sensus est falsus nam seclusa liberali accepta-
tione Dei, (vt vidimus) non sufficerent Christi
opera ad extinguendum omnino illud ius Dei
aduersus peccatorem.

Solutio.

Dices, opera Christi propter vnionem ad
Verbum habent infinitum valorem in ratione
meriti; ergo ante omnem liberalitatem Dei
habent de se infinitam vim ad impetrandam re-
missionem nostri peccati de condigno.

Enuol.

Respondeo concedendo totum; ex hoc ta-
men non fit, opera Christi habere vim ad sa-
tisfaciendum iustitiæ punitiuæ, etiam sine ac-
ceptione Dei, & ad extinguendum imme-
diatè illud ius Dei, sed solum ad impetrandam
à Deo remissionem, seu compensationem vnus
pœnæ pro alia: impetratio autem eo ipso exclu-
dit rigorem iustitiæ, & includit gratiam ali-
quam, & liberalitatem eius, à quo impetramus,
posset enim Deus non concedere, quæ petimus,

Excluditur.

nec

nec dare, quod meretur, licet præcedat meritum de condigno; non tamen potest iterum ex iustitia repetere illud, quod ex rigore iustitiæ solvimus; quare cum existentibus Christi operibus, posset Deus adhuc hominem ex iustitia punire, consequens est, per illa opera non solui de omni rigore iustitiæ punitiur pro nostris peccatis.

143 Dubium primum. *Dubium primum. Dubium.* Dubitabis primò, vtrum saltem posita Dei acceptatione possit dici satisfecisse Christum de rigore iustitiæ vindicatiur.

Respondeo, sine inconuenienti posse concedi, quia solum significatur, quod posita Dei acceptatione Christi opera exhibita sufficiunt ad extinguendum immediatè ius Dei circa hominis punitionem; quod verissimum est. nam licet illud ius Dei non extinguatur per sola Christi opera, sed etiam per liberam Dei acceptationem, ceterum posita Dei acceptatione, nihil requiritur vt extinguatur, nisi ipsorum operum exhibitio.

Russo. Dices, posita Dei acceptatione, & positis Christi operibus, Deus manet obligatus ex iustitia ad non puniendum hominem; facere enim iniuste si puniret, ergo Christus per sua opera, supposita Dei acceptatione, obligat Deum ex iustitia contra id, quod diximus supra, Deum non posse etiam ex tua promissione obligari ex iustitia.

Oculum. Respondeo, Deum in prædicto casu obligari ex iustitia punitiur, non ex commutatiur, quam supra negauimus in Deo, non verò punitiur, quæ propriè, & formaliter in Deo est, & cum obligat. Ratio discriminis est, quod commutatiur debet respicere ius alienum, quod argueret imperfectionem in Deo; vt ibi probauimus: at verò iustitia punitiur non arguit imperfectionem, quia solum dicitur moderatam punitionem delictorum, & per consequens obligat ad non excedendum in taxatione, & executione pænæ; quare licet Deus ex supremo dominio posset torquere hominem etiam innocentem æternis cruciatibus; non tamen punire innocentem, vel punire duplici pænâ adæquatam idem peccatum; hoc enim esset contra regulam iustitiæ vindicatiur, & hæc obligatio nullam arguit in Deo imperfectionem.

144 *Alia enasio.* Dices, ex hoc argui similem imperfectionem, quia si Deus puniendo peccatum post debitam satisfactionem faceret iniuste; ergo agit contra ius, quod homo habet, ne iterum puniatur; ergo ex illa iustitiæ obligatione respicit etiam Deus ius alienum, nempe hominis, ne iterum puniatur. ergo sicut tollis obligationem iustitiæ commutatiur, ne respiciat Deus ius alienum; ita debes tollere à Deo obligationem iustitiæ vindicatiur, vel vtramque concedere.

Præcluditur. Respondeo negando primam consequentiam; Deus enim puniens iterum peccatorum post debitam satisfactionem acceptatam, non esset iniustus, quia ageret contra ius hominis, sed quia puniret sine iure aliquo ad puniendum; nam licet per satisfactionem non acquisierit homo ius contra Deum, extinxit tamen ius, quod Deus habebat contra hominem, quod sufficit ad hoc, quod Deus non possit iure iterum punire hominem, & per consequens, vt agat iniuste contra

regulam iustitiæ punitiur, quæ dicitur, non esse puniendum innocentem.

Sed contra vrgebis; iudex creatus puniens delinquentem non solum perdit ius, quod habebat ad pœnam, sed etiam faceret contra ius ipsius hominis, si eum iterum puniret, & verè inferret iniuriam; ergo per primam punitionem non solum extinguatur ius iudicis, sed nascitur ius in homine punito, ne iterum puniatur, contra quod ius est secunda punitio.

Refellitur. Respondeo, concessio antecedenti, negando consequentiam, quia homo potest habere ius aduersus alium hominem; non tamen aduersus Deum: ideo iudex puniendo secundò reum committit iniuriam, & agit iniuste, non solum contra iustitiæ vindicatiur, sed etiam contra commutatiur, quia habet reus ius, non solum ne puniatur, sed etiam ne ladeur sine titulo ab alio homine: at verò homo non habet ius, ne ladeur à Deo sine causa; potest enim ladi, & torqueri à Deo licitè in perpetuum, etiam sine culpa; solum ergo ageret Deus contra iustitiæ vindicatiur, puniendo secundò hominem eo quod ius ad pœnam, extinctum fuerit per primam punitionem, vel satisfactionem.

Dices iterum, si ponimus in Deo obligationem iustitiæ vindicatiur; ergo Deus non solum ager iniuste si puniat innocentem, sed etiam si nocentem non puniat; vtrumque enim est contra regulam iustitiæ: consequens autem est falsum; Deus enim sine iniustitia poterit condonare pœnam, ergo non est ponenda in Deo obligatio ex iustitia etiam punitiur.

Eueritur. Respondeo negando sequelam, quia iustitia licet respiciat honestatem punitionis delicti, non tamen obligat: sicut gratitudo mouet ad honestatem sui obiecti: non tamen obligat semper quare Deus non erit ingratus, licet nihil retribuatur pro obsequiis acceptis, nec erit crudelis, licet non misereatur, nec parcus, & avarus, licet nihil largiatur. Ratio autem est, quia habet alia plura motiua honesta propter quæ possit honestè non exercere gratitudinem, misericordiam, liberalitatem, &c. Sic etiam habet motiua honesta, propter quæ possit condonare pœnam delicti, & non exercere iustitiam; non tamen esse iniustus, quia iustitia non obligat ad punitionem non omitendam, quod si iudex humanus obligatur, hoc erit ex iustitia commutatiur propter contractum implicitum cum Republica, à qua habet auctoritatem & iurisdictionem, & in cuius damnum redundat illa dissimulatio, quod damnum tenetur præcauere iudex ex iustitia commutatiur; Deus autem nec tenetur præcauere nostra damna, nec obligatur ex iustitia commutatiur ad puniendum.

147 *Dubium secundum.* Dubitabis secundò, an loquendo de hac iustitia vindicatiur posset purus homo satisfacere de rigore iustitiæ pro peccato, saltem quoad æqualitatem, & valorem rei, licet non quoad modum solutionis in sensu explicato?

Remouetur. Respondeo negatiuè; quia homo purus per bona opera, quantumvis excellentia, solum satisfacit de condigno pro determinata mensura pænæ temporalis; ergo nunquam posset de condigno satisfacere pro debito pænæ æternæ, quantum

quantumcunque multiplicarentur opera satisfactoria. Item homo sine gratia habituali non potest elicere opus satisfactorium de condigno, ergo pro debito ipso carendi gratia, quod contraxit ex peccato, non posset vnquam condignè satisfacere ipse qui peccauit.

Dubitabis tertio, vtrum hæc iustitia vindictiua, sit appellanda propriè & simpliciter iustitia, & ratione illius dicere possimus, Deum simpliciter, & absolute habere iustitiam, & Christum satisfecisse de iustitia pro peccatis, quia satisfecit iustitiæ vindictiue æqualiter æqualitate condignitatis supra explicata.

Hæc est quæstio de nomine, & idè loquendum cum multis & dicendum, iustitiam vindictiuiam esse iustitiam veram, non strictissimè sed communiter acceptam, quare simpliciter, & absolute vocatur iustitia Apoc. 9. *Vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretricem magnam, & vindicauit sanguinem seruatorum suorum de manibus eius*, & alibi sæpè; deficit tamen a rigore iustitiæ strictissimè acceptæ, vt notauit benè Molina 1. part. quæst. 21. artic. 1. & colligitur clarè ex S. Thoma 2. 2. quæst. 80. artic. unico, vbi iustitiam vindictiuiam ponit inter partes iustitiæ, non subiectiuas, sed potestatiuas. Et ratio est, quia hæc iustitia non respicit ius alienum, quod reus habeat ad exigendam pœnam, sed potius debitum, quod habet eam patiendi pro peccato, & exigentiam quandam conaturalè, quam videtur habere culpa respectu pœnæ.

Videtur tamen imitari modum iustitiæ commutatiue, quatenus seruat æqualitatem Arithmeticam inter culpam & pœnam, quod videtur esse proprium iustitiæ commutatiue, non tamen est actus proprius iustitiæ commutatiue, nisi per accidens in iudice humano, propter obligationem quam habet in ordine ad Rempublicam, cuius interest delicta non manere impunita, in quo sensu dixit S. Thomas illo artic. unico, esse actum iustitiæ commutatiue punire delicta.

Possimus ergo simpliciter & absolute illam appellare iustitiam, & in Deo concedere propriam iustitiam vindictiuiam, & per consequens fateri Christum supposita acceptatione Dei satisfecisse pro peccatis ex rigore iustitiæ, vt fatetur Molina *vbi supra*, licet neget in Deo iustitiam aliquam commutatiuiam propriè dictam.

Vltimò dubitari posset, an licet Christus non extinxerit debitum de iustitia, quod homo haberet ex peccato; saltem extinxerit adæquatè per sua merita debitum inimicitie, seu ius illud morale, quod ex peccato debebat Deus ad rationabilem auersionem ab homine, quamdiu non iustificenter placaretur. De hoc tamen re-dibit sermo ex professo infra *disputatione 5.* vbi videbimus, an fuerit necessaria Incarnatio ad satisfaciendum pro culpa? Nunc videamus an defuerint etiam satisfactioni Christi aliæ conditiones quæ solent exigi ad rigorem iustitiæ.

Card. de Lugo de Incarnat.

DISPUTATIO IV.

Vtrum Christi satisfactio habuerit alias condiciones rigorosæ iustitiæ.

SECTIO I. Vtrum satisfactio Christi fuerit ad alterum?

SECTIO II. Vtrum Christi satisfactio defecerit ratione secunda, & tertia conditionis?

SECTIO III. Vtrum Christi satisfactio habuerit tres alias condiciones prout exiguntur ad iustitiam.



Æc disputatio videbitur alicui superflua; cum enim dixerimus, nec Dei ad Christum, nec Christi ad Deum fuisse debitum iustitiæ, parum videtur referre, an ex alio capite defecerit etiam illa satisfactio à legibus perfectæ iustitiæ; ceterum quia de his conditionibus, & de earum exigentia ad iustitiam, latè agitur in præfenti à Theologis, necesse erit eas breuiter percurrere, ne nostri Theologi ieiuni sint in aliorum gymnasiis, vbi tota quæstio ad istas conditiones reducitur. Sunt autem sex condiciones, quas communiter ad satisfactionem iustitiæ exigunt, & de quibus dubitatur, an inueniantur in Christi satisfactione. Prima, quòd satisfactio sit ad alterum. Secunda, quòd sit ab ipso debitore personaliter. Tertia, quòd non possit non acceptari. Quarta, quòd non fiat ex bonis creditoris. Quinta, quòd fiat ex aliis indebitis. Sexta, quòd non sit ex acceptis ab ipso creditore. De quibus sigillatim agendum erit.

Conditiones satisfactionis sex.

SECTIO I.

Vtrum satisfactio Christi fuerit ad alterum?

Aristot. 5. *Ethic. cap. 1. & 2.* videtur exigere hanc conditionem ad perfectam iustitiam quòd sit vnus ad alterum; nam eiusdem ad se ipsum non est iustitia, vel iniustitia; ex quo videtur fieri, satisfactionem Christi etiam ex hoc capite deficere à rigore iustitiæ, cum Christus non satisfecerit alteri, sed sibi, nempe Deo, cui per peccatum fuerat illata iniuria.

Iustitia quid ex Aristotele.

Aliqui, vt defendant hanc conditionem in satisfactione Christi, respondent Christum satisfecisse Patri aeterno, iuxta illud Ioann. epistol. 1. cap. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem*, & per consequens satisfecisse alteri etiam supposito.

Doctrina aliorum circa satisfactionem.

Hæc tamen doctrina meritò reiicitur ab omnibus, quia satisfactio fieri debuit, cui illata fuerat iniuria; hæc autem non soli Patri, sed tribus personis fuerat illata, quæ omnes participant idem numero dominium, & eius, eandem voluntatem & potestatem; ergo non erat cur magis satisfaceret Patri, quàm aliis personis. Imò nec posset, quia cum voluntas sit communis, non

Reiicitur ab omnibus.

F posset